



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

Qui conati sint ordinare sermonem?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

tate Ioannis historiam incipiens, docens etiam hoc; Praecursoris Genesim admirabilem fuisse. Deinde Domini secundum carnem & ipsam admirabiliter referens factam. Eo quod ante Matthaeus instituit, scopo. Tam ordine retrogrado recenset eius progenitores, usque ad Dauidem, & Abraham, denique ad Adamum & Deum ipsum, cum vltiorem nullum reperiret: utpote ad creatorem omnium, qui teste Mose doctore omnia creauit, etiam ipsum protoplastum. Postea de baptismo aliisque communia cum ceteris narrat, ac de morte ac resurrectione. Postremo Christi in caelos reditum tam in Euangelio quam actis recenset.

QVÆSTIO V.

Qua auctoritas?

§. 1. Diuina: ut & aliorum Euangelistarum: Quamuis enim gesta Christi non viderit, optimam tamen fide omnia retulit. Nam superstitibus Apostolis scripsit, ut testatur Sanctus Augustinus, & Theophylactus. Ideo & eorum testimonio probata est eius historia. Alioqui Hierosolymis cum Hebraeis discipulis eruditum fuisse, idem testatur, sed non nititur humana scientia Euangelii certitudo. Apostoli praecatores erant. Hic considerandum Apostolos deiecit, hoc esse Lucae, & nusquam errans Euangelium. Alioqui quomodo certi esse poterant? itaque Euangelium quoad nos, non nisi Ecclesiae testimonio infallibilem auctoritatem habet. Adeo ut ipse Caluinus Ecclesiae alioqui inimicus, & scripturae proinde proditor diuino consilio tribuat, quod aliae scriptiones publico consensu repudiate sunt, hanc fidem obtinuerint.

QVÆSTIO VI.

An uxorem habuerit?

§. 1. Negat Hieronymus in vita illius, consentiunt ceteri, & quod mirum, quidam Caluini, Aretius in hunc locum, qui etiam putat caelibem ad religionem accessisse. *Ac erat, inquit, hoc vitæ genus apertissimum homini peregrinanti, & exposito multo periculis.* In Gallia enim, Achaia, Bœotia, Macedonia, Dalmatia docuit, & Pauli comes fuit. Cum vero omnes Apostoli in perpetua peregrinatione egerint, non est mirum, si & illi caelibem vitam egerint. Cur enim Petrum, Paulum, ceteros cum vxoribus orbem circumuississe clamant, si Lucae caelibatam propter peregrinationes tribuunt. Si hoc genus vitæ erat apertissimum Lucae Apostolorum discipulo, cur non & scriptis Apostolis: Non enim dubium est, eos, qui tanto feruore spiritus Euangelium toto mundo circumtulissent, omnia itinera impedimenta remouisse.

QVÆSTIO VII.

Quo tempore scripserit?

§. 1. Theophylactus anno 15. post resurrectionem scripta asserit, & Euthym. Baronius anno Christi 55. eos refutat. Sed incerta res est, Occasio, quod multi ordinare aggressi sermonem aberrarint. ut Euseb. lib. 3. cap. 24. Epiph. lib. 2. contra haeres. Nicephor. loco citato. Verior, quod cum Deus testem suum elegerit, & occasiones multas obtulerit.

De miraculis ad monumentum eius edi solitis, Niceph. l. 2. c. 43. de translatione Glicas l. 3. ann. de oleo & corpore secaturiente, Cedren. Compendio histor. §. 2. Hoc deniq; obseruandum est, non minus ad omnes Euangelium pertinere, quam ceteras scripturas, quamuis vni inscriptum sit. Communes enim sunt Epistolæ Sancti Pauli, vel vni Ecclesiae, vel homini inscriptæ. Vltimum vero erat, libros qui publicæ utilitati sacrabantur, vni alicui inscribere, faci-

lius enim multi legunt, quod ad vnum dirigitur. Ceteriora enim putant, quæ quasi inter priuatos sunt colloquia.

QVÆSTIO VIII.

Cur praefatione utitur?

§. 1. **Q**uia solus id facit, ideo quaeritur, cum eadem forte esset quaerendi ratio, cur vsi non sine alij vilo proœmio, sed praeter morem Scriptorum ab ipsa re inceptum. Pauci sane vsi proœmio in scriptura. loco enim praefationum tituli fere locati sunt.

§. 2. Causa non est quod priuato scribat. Tam enim omnibus, quem vni ratio reddi, aut non reddi debet, si alioqui causa est reddendi. Tam omnium quam vnius lectoris beneuolentia quaerenda est.

§. 3. Vera igitur causa est: quia de illis, quæ non viderat, quibus non interfuit, scribit. Et quidem de reconditissimis, ut de colloquio Angeli cum Beata virgine, Elisabetha, alijs, de quibus protestatur se omnia diligenter cognouisse. Deinde quia iam multi aliter, & falso scripserant, aliter monendi erant auditores, ne eis crederent.

Aliis Apostolis ea non fuit necessitas, quod visa scriberent, & ex persona plus haberent auctoritatis. Marcus quidem an fuerit Christi discipulus ignoratur, variantibus sententijs, potuit tamen illa videre, de quibus scribit. Nam incipit à prædicatione Domini. Sane causam præfandi non habuit, commendato per Petrum eius Euangelio. Et forte ex discipulis 70. fuit, ceterè tempore Christi vixit.

Quod si molestus quispiam esse pergat, satis fuerit respondere, Liberum Scriptori esse, uti, vel non uti præfatione. Lucam ea vsum, causamq; habuisse, de qua coniecturam facere possumus, certi vero nihil statuere.

QVÆSTIO IX.

Qui conati sunt ordinare sermonem?

§. 1. **Q**uidam haereticos putant: Orig. homil. 1. in Luc. Amb. & Beda Basilidem. Beda etiam Apellem adiungit. Epiph. haeresi 5. Cerinthum & Merinthum: sed hi posteriores fuisse videntur. Euf. l. 4. hist. c. 7. & l. 5. c. 13. Cerinthum tamen her. 28. ait disceptasse contra Petrum, in cenobio Hierosolymitano.

Theophylactus Euangelium secundum Thomam, Aegyptios, duodecim Apostolorum, aliorumque. ut Nicodemi Aegyptiorum. Causam fere adferunt, quod verbis *ἐπιχειροῦν*, conati sunt, pro ausu temerario interpretantur. Sic Augustinus etiam libro 4. c. 8. de consensu Euang. Beza ait quosdam illa Euangelia reponere nostro tempore, quæ quidem non vidi, sed tamen omnium errores passim reuocantur.

§. 2. Matthæum & Marc. designatos aiunt alij. Nam verbum *ἐπιχειροῦν*, tam de honesto, quam malo conatu potest accipi. Ut habet Illoc ad Demonicum *καὶ ἀλλὰ μὲν ἔργον ἐπιχειροῦν*, Præclaram quidem rem aggreduuntur: sic & Syrus *ܙܘܗܐܢ* *Zuhān*, voluerint quod in vtramq; partem accipi potest; bonam & malam.

Sic intelligi ex eo proba, quod versu 3. ait. *Visum est & mihi asserenti omnia; vbi alieno se exemplo scribere indicat.* Minus autem modus loquendi conuenit, si inductum se haereticorum exemplo diceret; nam in bonis illam phrasin vsurpamus, quod magis probatur ex Syro *ܐܢܐܦܗ* *aph*, etiam. Bonorum enim imitationem profitemi, non haereticorum, Euangelista debuit. Adde & illud.

Non refutat, non inuictur in eos, qui aliter texerunt. Stenim perfidè fecerunt, reprehendere oportuit. Nunc ita loquitur, ut dubium sit, an probet, an improbet. Caluinus putat, parere quidem, non tamen penitus eorum laborem probare:

*Handwritten marginal notes in red ink, partially legible.*

